

Ac prior `Heus,' inquit, `iuvenēs, mōnstrāte, meārum
vīdistis sī quam hīc errantem forte sorōrum
succīntam pharetrā et maculōsae tegmine lyncis,
aut spūmantis aprī cursum clāmōre prementem.'

Sīc Venus et Veneris contrā sīc fīlius orsus: 325

`Nūlla tuārum audīta mihī neque vīsa sorōrum,
Ō quam tē memorem, virgō? Namque haud tibi vultus
mortālis, nec vōx hominem sonat; Ō, dea certē---
an Phoebī soror? An nymphārum sanguinis ūna?---,
sīs fēlīx nostrumque levēs, quaecumque, laborem 330
et quō sub caelō tandem, quibus orbis in ōrīs
iactēmur, doceās: ignārī hominumque locōrumque
errāmus ventō hūc vastīs et flūctibus āctī:
multa tibi ante ārās nostrā cadet hostia dextrā.”

Tum Venus: “Haud equidem tālī mē dignor honōre; 335
virginibus Tyriīs mōs est gestāre pharetram,
purpureōque altē sūrās vincīre coturnō.
Pūnica rēgna vidēs, Tyriōs et Agēnoris urbem;
sed finēs Libycī, genus intractābile bellō.
Imperium Dīdō Tyriā rēgit urbe profecta, 340
germānum fugiēns. Longa est iniūria, longae
ambāgēs; sed summa sequar fastīgia rērum.
Huic coniūnx Sŷchaeus erat, dītissimus aurī
Phoenīcum, et magnō miserae dilēctus amōre,
cui pater intāctam dederat prīmīsque iugārat 345
ōminibus. Sed rēgna Tyrī germānus habēbat
Pygmalion, scelere ante aliōs immānior omnēs.

Quōs inter medius vēnit furor. Ille Sychaeum
impius ante ārās, atque aurī caecus amōre
clam ferrō incautum superat, sēcūrus amōrum 350
germānae; factumque diū cēlāvit, et aegram
multa malus simulāns vānā spē lūsit amantem.
Īpsa sed in somnīs inhumātī vēnit imāgō
coniugis ōra modīs attollēns pallida mīrīs;
crūdēlēs ārās trāiectaque pectora ferrō 355
nūdāvit, caecumque domūs scelus omne retēxit.
Tum celerāre fugam patriāque excēdere suādet
auxiliumque viae veterēs tellūre reclūdit
thēsaurōs, ignōtum argentī pondus et aurī.
Hīs commōta fugam Dīdō sociōsque parābat. 360
Conveniunt quibus aut odium crūdēle tyrannī
aut metus ācer erat; nāvēs, quae forte parātae,
corripiunt onerantque aurō. Portantur avārī

Pygmalionis opēs pelagō; dux fēmina factī.

Dēvēnēre locōs ubi nunc ingentia cernēs 365

moenia surgentemque novae Karthāginis arcem,

mercātīque solum, factī dē nōmine Byrsam,

taurīnō quantum possent circumdare tergō.

Sed vōs quī tandem? Quibus aut vēnistis ab ōrīs?

Quōve tenētis iter?” Quaerentī tālibus ille 370

suspīrāns imōque trahēns ā pectore vōcem:

“O dea, sī prīmā repetēns ab orīgine pergam

et vacet annālēs nostrōrum audīre labōrum,

ante diem clausō compōnet Vesper Olympō.

Nōs Troiā antīquā, sī vestrās forte per aurēs 375

Troiae nōmen iit, dīversa per aequora vectōs

forte suā Libycīs tempestās appulit ōrīs.

Sum pius Aenēās, raptōs quī ex hoste penātēs
classe vehō mēcum, fāmā super aethera nōtus;
Ītaliā quaerō patriam, et genus ab Iove summō. 380

Bis dēnīs Phrygiū cōnscendī nāvibus aequor,
mātre deā mōnstrante viam data fāta secūtus;
vix septem convulsae undīs Eurōque supersunt.
Ipse ignōtus, egēns, Libyae dēserta peragrō,
Eurōpā atque Asiā pulsus.” Nec plūra querentem 385
passa Venus mediō sīc interfāta dolōre est:

“Quisquis es, haud, crēdō, invīsus caelestibus aurās
vītālēs carpis, Tyriam quī advēneris urbem;
perge modo, atque hinc tē rēgīnae ad līmina prefer.
Namque tibī reducēs sociōs classemque relātam 390
nuntiō et in tūtum versīs Aquilōnibus āctam,
nī frūstrā augurium vānī docuēre parentēs.